

ac senum. Referre arbitratur, in quas partes sese iaculetur, aut cuius stelle vires accipiat, quasque similitudines reddat, & quibus in locis emicet. Tibiarum specie, musica arti portendere. Obscenis autem moribus, in vendendis partibus signorum. Ingenijs & eruditioni, si triquetram figuram quadratamue paribus angulis ad aliquos perennium Stellarum situs edant. Venena fundere, in capite septentrionalis austrinae serpētis. Cometes in vno totius orbis loco colitur in templo Roma, admodum faustus diuo Augusto iudicatus ab ipso, qui incipiente eo, apparuit ludis quos faciebat Veneri genitrici non multo post obitum patris Caesaris, in collegio ab eo instituto. Namque his verbis id gaudium prodidit: Iis ipsis ludorum meorum diebus, sidus crinitum per septem dies in regione caeli, quae sub septentrionibus est, conspectum. Id oriebatur circa undecimam horam diei, clarumque & omnibus terris conspicuum fuit. Eo sidere significari vulgus credidit; Caesaris animam inter deorum immortalium numina receptam: quo nomine id insigne simulacro capitis eius, quod mox in foro consecrauimus, adiectum est. Hae ille in publicum, interiore gaudio sibi illum natum, sequi; in eo nasci interpretatus est: & si verum fatemur, salutare id terris fuit. Sunt qui & haec sidera perpetua esse credant, suoque ambitu ire, sed non nisi relicta a sole cerni. Alij vero, qui nasci huius more fortuito, & ignea vis, ideoque solui.

Hipparchus de sideribus, per exempla historica, faces, lampades, trabes, bolides, & chasma caeli. CAP. XXVI.

Dem Hipparchus nunquam satis laudatus, ut quo nemo magis approbauerit cognitionem cum homine siderum, animasque nostras partem esse caeli, nouam stellam et aliam in euo suo genitam deprehendit: eiusque motu, qua die fulsit, ad dubitationem est adductus, an hoc saepius fieret, mouerenturque; & ea quas putamus affixas. Idemque, ausus, rem etiam deo improbam, annuere rare posteris stellas, ac sidera ad normam expandere, organis excogitatis, per quas singularium loca atque magnitudines signaret: ut facile discerni posset ex eo non modo an obiret, nascereturue, sed an omnino aliqua transiret mouereturue, item an cresceret minuereturque; caelo in hereditate cunctis relicto, si quisquam qui rationem eam caperet, inuentus esset. Emicant & faces, non nisi quum decidunt visae, qualis Germanico Caesare gladiatorum spectaculum edente, praeter hora populi meridiano transcurrit. Duo genera earum: Lampades vocant plane faces: alterum bolidas, quale Mutinensibus malis visum est. Distant, quod faces vestigia longa faciunt, priore ardente parte: bolidas vero perpetua ardens, longiorem trahit limitem. Emicant & trabes simili modo, quas docos vocant: quales cum Lacedaemonij classe victi, imperium Graeciae amisere. Fit & caeli ipsius hiatus, quod vocant chasma.

De caeli coloribus. CAP. XXVII.
Fit & sanguinea species, & (quo nihil terribilius mortalium timori est) incendium ad terras ca-

dens inde, sicut Olympiadis centesima septima anno tertio, quum rex Philippus Graciam quateret. Atque haec ego statis temporibus natura, ut caetera, arbitror existere, non ut plerique varijs de causis, quas ingeniorum acumen excogitat: quippe ingentium malorum fuere praenuntia. Sed ea accidisse, non quia haec facta sunt, arbitror: verum haec ideo facta, quia incasura erant illa. Raritate autem occultam eorum esse rationem, ideoque non sicut exortus supra dictos defectusque & multa alia nosci.

De flamma caeli. CAP. XXVIII.

Eruntur & stella cum sole totis diebus, plerumque & circa solis orbem, ceu * specie coronae: & versicolores circuli, qualiter Augusto Caesare in prima iuuenta urbem intrante, post obitum patris, ad nomen ingens capeffendum.

De coronis caelestibus. CAP. XXIX.

Existunt eadem coronae circa lunam, & circa nobilia astra, caelo quoque inherencia. Circa solem Marcus apparuit L. Opimio, Q. Fabio COSS. orbis L. Portio, M. Atilio.

De circulis repentinis. CAP. XXX.

Irculus rubri coloris L. Iulio, P. Rutilio COSS. Fiunt prodigiosi & longiores solis defectus, qualis occiso dictatore Caesare, & Antoniano bello, totius pene anni pallore continuo.

Plures soles. CAP. XXXI.

Trursus plures soles simul cernuntur, nec supra ipsum nec infra, sed ex obliquo, nunquam iuxta, nec contra terram, nec nocturni, sed aut oriente aut occidente. Semel & meridie conspexi in Bosphoro produntur, qui a matutino tempore durauerunt in occasum. Trinos soles antiqui saepius videre: sicut Sp. Posthumio, Q. Mutio, & Q. Martio, M. Portio, & M. Antonio, P. Dolabella, & M. Lepido, L. Planco COSS. Et nostra aetas vidit diuo Claudio principe, consulatu eius, Cornelio Orfito collega. Plures simul quam tres visi, ad hoc aui nunquam produntur.

Plures lunae. CAP. XXXII.

Vna quoque trina, ut Cn. Domitio, C. Fannio consulibus, apparuere: quos plerique appellauerunt soles nocturnos.

Dierum lux nocte. CAP. XXXIII.

Vmen de caelo nocturnum visum est, C. Caecilio, Cn. Papyrio consulibus, & saepe alias, ut diei species nocturno luceret.

Clypei ardentes. CAP. XXXIII.

Lypens ardēs ab occasu ad ortum scintillas transcurrit, solis occasu L. Valerio, C. Mario COSS.

Ostentum caeli. CAP. XXXV.

Scintillam est stella cadere, & augeri terrae appropinquantem: ac postquam luna magnitudine facta sit, illuxisse ceu nubilo diei: dein cum in caelum se reciperet, lampadam factam, semel nunquam proditur, Cn. Octauio, C. Scribonio COSS. Vidit hoc Licinius Syllanus proconsul cum comitatu suo.

De discursu

* cretionē, eadem metaphora, qua hereditatis aditionē dicimus

* spicem